

De hominis natura, secundum Hippocratem: item[que] de officina sanguinis venarumque principio. Disputationes binae. ... / ad disputandum propositae à Io. Nicolao Stupano ... Respondentibus Rudolpho Saltzmano ... & ... Io. Henrico Ryhinero.

Contributors

Stupanus, Johann Niklaus, 1542-1621.
Ryhinerus, Joannes Henricus.
Saltzmann, Johann Rudolph, 1574-1656.

Publication/Creation

Basileæ : Typis Conradi Waldkirchij, M D XCVII. [1597]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zh6yqw36>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DE HOMINIS NATVRA, SE-
CONDVM HIPPOCRATEM:

Itemq³

DE OFFICINA SANGVINIS
VENARVM'QUE PRINCIPIO.

DISPVATIONES BINÆ.

*Ex Diexodica enarratione, libri Hippoc. de
Hominis Natura, summatim excerptæ: &
pro Mense Iunio & Iulio, Exercitiij pu-
blici Causa, ad disputandum
propositæ*

A

IO. NICOLAO STVPANO.

AD

Illustres & Generosos D.D. BARONES
RAPHAELEM ET ANDREAM DE
LESZNO, PALATINIDAS
Brestenses fratres.

Respondentibus

D. RVDOLPHO SALTZMANO
Argent.

Ad diem Iunij 6. &

D. M. IO. HENRICO RYHINERO.
Basiliens.

Ad diem Iulij 4.

Basileæ, Typis Conradi Waldkirchij.

CIO IO XCVII.



Dupliat

MVSEVM
BRITAN
NICVM

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
I 7 8 7

ILLVSTRIBVS AC GENERO-
SIS D. D. BARONIBVS D. RAPHAELI
ET D. ANDREAE DE LESZNO,
Palatinid. Brestensibus Fratribus.

MΑΥΤΕΣ ἀνθρώποι, inquit Arist. initio Metaphysicorum, τὰ δὲ
ἀνὰ ὁρμήντα φύσει, σημεῖον ὅτι τὰ ἀνθρώπων ἀγάννοισι. i. Omnes
homines ex ipso instinctu naturæ, sciendi cupidi sunt:
apparetque hoc vel ex eo, quod Sensus, quibus omnis
scientiæ fundamentum nititur, tantopere diligunt: & si quo eo-
rum priuantur, inærent. Cum autem rerum, quæ cognitu dignæ
sunt, infinita propè existat Varietas: & aliarum item atq; aliarum
cognitio, alijs atq; alijs hominibus, magis utilis honestaq; sit. Ea
sanè cognitio, qua nos ipsos cognoscimus, & contemplamur ge-
nerationis nostræ principia & causas, quibus corpus nostrum, ex
tanta partium, ad alios atq; vsus spectantium varietate constans,
primum formatur: deinde augetur: tertio nutritur & conserua-
tur: Varijs item Affectibus, Salubrib. & Insalubribus obnoxium
redditur: Vt imprimis quidem est Necessaria ijs, qui vera Me-
thodo Sanitatem conseruare, & Morbos curare cupiunt: Ita de-
inde etiam honesta iocundaq; est, omnibus generosis Animis,
Vsumq; obtinet multiplicem, non ad Intellectum solomodo il-
lustrandum: Sed etiam ad Mores formandos. Quis enim tam su-
perbo, feroque Animo esse possit, qui non aliquantum mitescat,
si cognouerit, qua Materia, quo Loco, quibus in vniuersum cau-
sis, ortus sui primordia habuerit: quibus præterea Affectibus, eo-
rundem ratione, sit obnoxius? Huius doctrinæ, Galeno teste,
Vera fundamenta, primus nobis tradidit Hippocrates, in libro
de Hominis Natura. Cuius diexodicam enarrationem, cum nu-
per absoluissem, cuperemque plurimis prodesse: præcipua capi-
ta Argumentaq; totius illius Doctrinæ, summatim comprehen-
sa, in binas disputationes digessi: easq; pro binis proximis Men-
sibus, Iunio & Iulio. Exercitij menstrui causa, secundum Colle-
gij Medici nostri leges, publicè disputandas proposui. Easdem
verò ambas Vobis, Generosiss. Domini BARONES AC PALA-

TINIDAE Dicandas cōsecrandasq; esse censui, quod in Iuuenili
 hac Vestra ætate, cernerem singulare Specimē eius Virtutis, quæ
 hodie Polonicæ gentis, serè peculiaris esse videtur, vt Illustriss.
 Generosiss. & Nobilissimi quiq; eorum, discendarum Lingua-
 rum, & comparandæ rerum pulcherrimarum cognitionis causa,
 Longas peregrinationes suscipiant, sumptusq; maximos faciant.
 Ad quod Institutum, vt Maiorum vestrorum Exempla, & Paren-
 tum Magnificencia vos inuitarunt: ita quoq; hoc tempore, bino-
 rum Vestræ Iuuentutis Moderatorum: nempe Nobiliss. D. Ioan-
 nis Ampliæ, Ephori Vestri singularis eruditio atq; Prudentia: &
 D. M. Pauli Virdungi diligentia, plurimum iuuant & promouent.
 Vt certo sperare queamus. Vos ambos aliquando, singularia to-
 tius Patriæ Lumina & Collumina futuros. Quod vt Vobis felici-
 ter contingat. Deum Opt. Max. rogamus.

*Nominis Vestri
 Obseruantiss.*

*Ioan. Nicol. Stupanus Profess. Medicina
 Ordinarius in Academia Basiliensi.*





THESIS I.

DE hominis natura disputaturi, primo omnium generatum, quid natura sit, meritò docere debemus. Nam ut rectè apud Platonem in Phædro dicitur, neq. Anima neq. corporis natura cognosci potest, absq. τῆς τῆς ὅλης Φύσεως, id est. Naturæ uniuersalis cognitione.

I I.

Eam alij atq. alij, aliter atq. aliter definiuerunt: nos ceteris omnibus præferimus Hippocratis, Platonis, Aristotelis & Galeni siue definitiones: siue expressos definiendæ Naturæ Modos. Quæ, etsi verbis differant, reipsa tamen idem significare eas dicimus.

I I I.

Arist. lib. 2. Physicorum cap. 1. tanquam philosophus Naturalis, per ea definiuit Naturam, quæ sunt Vniuersalia maximè, & de ijs quodammodo dici possunt, quæ Galenus, Plato & Hippocrates: in Naturæ Definitione exprimunt, aut exprimenda censent.

I V.

Dixit enim eam esse: Αρχὴν τινὰ καὶ αἰτίαν τῆς κινεῖσθαι καὶ ἡρεμῆν, ἐν ᾧ ὑπάρχει, πρῶτως, κατ' αὐτὸ, καὶ μὴ κατὰ συμβεβη-
κοί. i. Principium & caussa motus & quietis, ei in quo inest, per se, & non per Accidens.

V.

Galenus ut Medicus, expressit Naturam sublunarium maximè rerum, & quidem per id, quod ut Arist. ita etiam idem esse censet caussam, omnium motionum: nempe talem calidi frigidi, humidi sicciq. mixtionem.

V I.

Itaq. lib 3. de Temp. cap. 4. sic ait Φύσιν δ' ὅταν εἴπω, τὴν ὅ-

ἀλλ' ὅτι αὐτὴ καὶ κερφαὶ λέγω, τὴν τῶν πρώτων στοιχείων, θερμὴν καὶ ψυχρὴν καὶ ξηρὴν καὶ ὕγρην, id est, cum naturam nomino, totam essentiam atq; temperamentum quatuor primorum Elementorum intelligo: nempe Calidi, Frigidi, Sicci & Humidi.

V I I.

Plato ex sua & Hippocratis sententia, censet Naturam per ea esse explicandam, quæ nostris sensibus possint maximè esse propinqua, & tamē explicare Naturam. Cuiusmodi sunt partes, ex quibus quæq; res naturalis constat, earumq; vires quas habent, ad agendum aut patiendum: nam ex partium viribus promanant actiones, quæ insensum cadunt.

I I X.

Itaq; sub finem fere Dialogi Phædri. sic loquitur Socrates ἄρ' ἔχ' ὡς ἐπεὶ ἀγνοῶμεθα περὶ ὁποῦν φύσεως; πρῶτον μὲν, ἀπολὼν ἢ πολυειδὲς ἐστίν, καὶ περὶ βελησόμεθα εἶναι αὐτὴν τεχνικὴν, καὶ ἄλλας διώατοι ποιεῖν. Επειτα δ' ἐάν μιν ἀπολὼν ἢ σκοπεῖν τὴν διώαμιν αὐτῆς, πινὰ πρὸς τὴν πέφυκεν, ἢ τὸ δρᾶν ἔχον, ἢ τὴν εἰς τὸ παθεῖν ὑποτῆ. Εὰν δ' ἐπὶ τῷ εἶδη ταῦτα ἀριθμήσαντες, ὁπερ ἔφ' ἐνός, τῶν ἰδῆν ἐφ' ἐκάστω, τό τι ποιεῖν πέφυκεν, ἢ τό τι παθεῖν ὑποτῆ. Quorum sensus est. In querenda cuiusq; Rei Natura, Primo inuestigandum. Num ea simplex sit an composita? Et si simplex existat: querendum, quam vim habeat ad agendum aut patiendum? Sin fuerit composita: tunc querendum ex quibus componatur? Et quam vim, eorundem ratione, obtineat itidem ad agendum aut patiendum.

I X.

Secundum hos igitur, simplicis quidem substantia Natura erit vis; quam illa habet, ad agendum & patiendum: & qui nouit idipsum optime: is optime eius naturam cognoscet, e contra, qui tantummodo idipsum ex parte cognoscit: ex parte tantummodo eiusdem naturam nouit.

X.

Composita verò substantia Natura est, mixtio atq; unio eo-

rum quibus illa cōstat, unā cum facultatibus & viribus, quas eadem res, ex huiusmodi mixtione acquirit.

X I.

Et qui nouit, ex quibus simplicibus constet res quapiam, & quas vires eadem res ad agendum patiendumq; obtineat, ex ipsorum quibus componitur mixtione: is eius naturam intelligit.

X I I.

Totam quidem, si quidem omnes vires eius cognoscat. Ex parte autem tantū, si quidem aliquas tantummodo nouerit.

X I I I.

Hunc cognoscende Naturæ modum, hausit Plato ex Hippocrate, qui ut loco iam citato dicitur; Hominis Naturam secundum hanc Methodum enarrauit: nempe in libello de Hominis Natura inscripto.

X I V.

Quæsiuit enim in eo Hippocrates primo. ποῦρον ἐν ἑσὶ ὁ ἀνθρώπος. i. An homo una quaedam ac simplex substantia sit, vno simpliciq; Elemento constans: an composita ex pluribus diuersisq; simplicibus corporibus?

X V.

Secundo: quas vires habeat Homo, ad agendum patiendumq; ex ijs quibus compositus est, deductas?

X V I.

De priori ergo agens, probat Hominem non esse simplicem quandam substantiam, sed compositam, ex pluribus diuersæ naturæ simplicibus corporibus; nempe, Calido, Frigido, Humido, Sicco: aut si mauis, Igne, Aqua, Aëre, Terra.

X V I I.

Hæc autem, etsi sunt communia, omnium rerum, quæ in hoc mundo sublunari generantur elementa: non immediatè tamen Hominem cōponunt: sed, interuenientibus multis mutationibus, prius in quatuor humores transmutantur, ex quibus immediatè deinde homo, in prima conceptione formatur, augetur & editus in lucem, nutritur.

XII X.

Nec obstat hisce: quod lib. 1. de semine cap. 2. partes quadam ex semine, quadam ex sanguine facta esse dicuntur.

X I X.

Nam ut textu 27. huius libri, de Natura hominis, id explicat Galenus: Seminis ipsius moles, ex qua fit prima delineatio, spermaticarum partiū, tam est exigua, ut respectu eius, quod ex sanguine materno accedit, quasi pro nihilo habeatur: Deinde eadem quoque moles seminis, ex sanguine ortum habuit.

X X.

Quatuor hi humores sunt Sanguis, Pituita, Bilis, Flaua, Melancholia: qui secundum naturam, simul omnes mixti sunt inter se, in ipsa sanguinis massa, quæ in venis atque Arterijs, per vniuersum corpus distributis, ceu in penu quodam continetur.

X X I.

Ex quo penu, omnes partes reliquæ trahunt id, quod sibi familiare est, tum ad sui nutritionem, Incrementumque, tum alios usus.

X X I I.

Quæ enim: Bilis flaua in vesicâ fellis, Melancholia in Lienem, subinde trahitur: & inde etiam exonerantur per Aluū. Eæ sunt deteriores & excrementosæ partes: genuinæ Bilis & Melancholia: quæ in venis continentur sanguini permixtæ.

X X I I I.

Sic Pituita, quam per os expuimus, & per nares excernimus: habet quidem similitudinem cum ea, quæ est in venis, quia & colore, & temperie ferè conueniunt: non tamen ea est: Sed potius excrementum nutritionis cerebri: generaturque hæc excrementosa pituita, multis quoque alijs locis.

X X I V.

Et quamuis secantibus nobis venam aut Arteriam, siue vnam quampiam siue plures: simplex substantia videatur effluere: quam sanguinem omnes vocant: ratio tamen docuit sanguinem

sanguinem illum, qui in venis Arterijsq; continetur ijsq; sectis effluit: ex quatuor diuersis substantijs constare: Nempe sanguine propriè appellato, Pituita, Bile, Melancholia.

XXV.

Cuius rei comprobatio omnium firmissima ea est: qua usus est Hipp. textu 27. eiusdem libri de Natura hominis, videlicet, quod in omni etate, quouis anni tempore, die aut nocte, quamdiu homo viuit: semper exhibito medicamento cholagogo Bilem, Phlegmagogo pituitam, Atrabilario Melancholiam, ex corpore trahere poteris; Vti etiam sanguinem, vulnerata aliqua parte.

XXVI.

Hanc verò rationem probationemq; Galenus, & illic in comm. & lib. 2. de Elementis, præcipuè cap. 2. 5. & lib. 6. de Placitis cap. 8. declarat multis modis. Primum à prudentia Artificis, cui tantam corporis nostri partium diuersitatem, neq; ex vna eademq; materia fabrefieri, neq; nutriri visum fuit: sed ex massa sanguinis, quatuor humoribus permixta, ut singulis commoda materia suppeteret.

XXVII.

Deinde quod in sanguine, qui secta vena effluit, obseruentur variae partes, quaedam planè rubrae ac floride, quaedam Nigrae crassaeq; in fundo: quaedam flauescentes: in quibusdam verò etiam aliquid manifestè album apparet.

XXIX.

Tertiò quod prout alius atq; alius horum humorum abundauerit, ita etiam corporis habitus fiant diuersi: alijs floridi & rubicundi: alijs pallidi: nonnullis nigri: quibusdam albi ac molles.

XXIX.

Quibus accedit similitudo multarum aliarum rerum, quae cum intuitu videantur vna esse: tamen verè constant ex diuersis substantijs: ut in Lacte euidenter apparet.

XXX.

Id enim, cum à reliquo sanguine, in venis Arterijsq³ contento, non nisi longiori concoctione differat: & expressum ex vberibus, una simplexq³ substantia intuentib. videatur: tamen separatur in substantias planè diuersas. Nempe Caseosam duplicem, primariam & secundariam: pinguem & serosam.

XXXI.

Recentiores malè accommodant huc musti exemplum. Cuius partium diuersitas, nō facit ad demonstrandos diuersos humores sanguini in venis permixtos: sed ad declarandum, quomodo ex yisdem humoribus, post primam generationem, partes quædam excrementosæ, in vesicam fellis & lienem separantur. Vt videre est lib. 2. de Facultat. Natur. cap. 9. & lib. 4. de usu partium cap. 3. 4.

XXXII.

Sed neq³ plures sunt quam quatuor humores in corpore. Nam ut dicitur cap. 6. libri de causis Morb. item lib. 2. de febr. diff. cap. 6. & lib. 3. de locis Affectis cap. 7. d. omnis humor in corpore: aut est calidus siccusq³, isq³ in genere bilis flauæ continetur. Aut frigidus & Humidus, & sub Pituita comprehenditur: Aut frigidus siccus qui est Melancholicus: aut calidus & humidus, isq³ sub sanguine comprehenditur.

XXXIII.

Oculorum, qui dicuntur humores, partes eorū sunt, Actionem visionis obeuntes, aut eidem conferentes.

XXXIV.

Serositas sanguinis, quam Renes attrahunt, excrementum est omnium humorum; omnis enim serositas est excrementū lib. 2. de Natur. Facul. cap. 9. d.

XXXV.

Humidum Radicale Barbaris nuncupatum, & à Recentioribus Humidum primigenium dictum, ab yisdem ita explicatur, ut sit substantia oleosa quædam, in qua innatus calor, tanquam

quam flamma ab oleo, sustentatur. Itaq³ secundum hos, erit aliquid ex quatuor humoribus factum.

XXXVI.

Quod si Galenū sequamur, ab intricata de Humido Radicali disputatione, qua in nullo sensu habet fundamētū, recedemus: & dicemus, Spiritum Natiuumq² calorem, prima esse Animæ vehicula, primamq³ sedem, primaq³ instrumenta.

XXXVII.

Spiritum ex sanguine generari: calorem nativum in sanguine accendi. Et ut Lucerna flammam ex funiculo ardentem, oleo moderato fouet. Ita Corpus nostrum, in corde ceu funiculo, ex sanguine calorem Nativum accendente, vitam fouere. cap. 3. libri de utilitate Respirationis circa finem.

XXXIX.

Consentiunt cum hac doctrina: tum illa quæ in Animi perturbationibus euenire cernimus, in quibus unà cum calore, sanguis totus euidenter mouetur: Exempli gratia per iracundiam, totus fertur ad exteriora: quibusdam nonnunquam refugit totus ad centrum: Vt quandoq² illic etiam suffocetur veluti in Timore. Tum quod per magnas hemorrhagias, vitam finire nouimus Lib. 2. de causis Sympt. cap. 5. circa finem, & cap. 2. f. lib. quo docet, Animi mores sequi temperamentum.

XXXIX.

Vt autem non plures sunt humores quam quatuor, in venis & Arterijs, ita neq³ sunt pauciores: ydemq³ tota substantia à se inuicem differunt, ut proportionem quadam quatuor mundi Elementis respondeant.

XL.

Neque approbamus quod Fernelius alias vir Doctissimus lib. 6. Physiolog. cap. 8. docuit: hos humores in venis esse tantum quasdam sanguinis differentias: Ita ut quæ eius pars, moderatior rubicundiorq³ sit, ea pro sanguine proprie appellato

sit habenda quæ tenuior flauiorq̃, Bilis: crassior & nigrior Melancholia, liquidior albiorq̃ pituita.

XL I.

Sed cum Hipp. dicimus: Bilem quæ est sanguini permixta: de essentia eius esse: quæ in vesicam fellis trahitur. & Melancholiam, de Essentia eius, quæ trahitur in Lienem: vno hoc excepto, quod deterior pars semper bilis & Melancholia, ex sanguine in vesicam hanc, atq̃ Lienem, tanquam excrementosa attrahantur. lib. 2. de Natur. Facult. cap. 9.

XL II.

Cuius rei certissima demonstratio ea est, quam Hipp. textu 27. 28. & sequentibus habet. scil. quod in omni ætate, die, nocte, quacumq̃ hora, per pharmacum tales ex corpore educuntur, quod certè fieri non posset, nisi in eo essent.

XL III.

Neg. Rectè dicere possis, Melancholiam & Bilem, quæ Medicamentis educuntur: ex sola vesica biliaria aut Liene trahi.

XL IV.

Maiori .n. quantitate educuntur, præsertim in super purgationibus, quàm quæ in sola fellis vesica aut liene contineantur.

XL V.

Ëteri præterea critici, Erysipelata, ab ea bile proueniunt, quæ in venis sanguini permixta continebatur.

XL VI.

Deniq̃ Urinæ, nonne sunt amara ob bilis admixtionem, etiam in sanis hominibus?

XL VII.

Sed si amara non nutriunt: bilis tam amara, quem usum habet in sanguine? Item cur tota massa sanguinis non sit amara?

XL IIX.

Respondemus multis modis. I. Deteriorem maximeq̃, amaram trahi ad vesicam fellis. II. Si Ars potest ea quæ per se edendo non sunt, ita cum alijs miscere, ut sint aliorum condi-

condimenta. lib. 4. de simp. cap. 16. multò magis potest Natura sanguinis massam miscere, ex quatuor diuersis substantijs: ut tota aptior sit ad Nutritionem. III. In biliosis naturis, per longum ieiunium: sanguinem aliquando fieri Amarũ, ut eodem loco à Galeno dicitur.

XLIX.

Concludimus ergo cum Hipp. textu 24. & sequentibus. Hos quatuor humores, substantia esse planè diuersos, primum κατὰ νόμον ex veterum auctoritate, qui eorum singulis tanquam diuersis rebus, diuersa nomina imposuerunt.

L.

Secundo κατὰ φύσιν: quia differunt Qualitatibus visibilibus. Sanguis enim rubeus est; Bilis est Flaua, Melancholia Nigra, Pituita Alba.

LI.

Tertio differunt qualitatibus primis. Sanguis est temperatus, ad calidum & humidum modicè Vergens: Bilis calida & sicca: Melancholia frigida sicca: pituita frigida humida.

LII.

Quarto differunt Qualitatibus gustabilibus: Nam sanguis, si secundum naturam se habet, est dulcis, Bilis Amara, Melancholia Acida, Pituita Insipida.

LIII.

Quinto à diuersis medicamentis trahentibus, ex corpore educuntur. Inuenies enim bilem trahentia, quæ pituitam non ducunt, & trahentia, Melancholiam, quæ non ducunt pituitam aut sanguinem.

LIV.

Sexto quia diuersis Anni temporibus, diuersisq; cali constitutionibus, horum singuli augentur minuunturq;. Sanguis enim Vere copiosior est, quam alijs Anni tēporibus. Bilis in Aestate. Melancholia in Autumno, Pituita Hyeme dominatur.

LV.

Septimo: quod diuersi Morbi ab horum singulis, naturalem

modum egredientibus generentur: hamorrhagia quidem à sanguine: Catharri, tumoresq; albi à pituita. Febres tertiana à bile. Quartana à Melancholia.

L V I.

Ex hisce autem, quatuor humoribus omnibus, certa proportionem mixtis, formata sunt corporis nostri partes similes: quibus instrumenta totumq; corpus componitur.

L V I I.

Primum quod ex nullo horum solo, possit suppeditari comoda materia, ad tantam partium diuersitatem formandam, augendam, nutriendam. lib. 2. de Elementis cap. 2.

L I I X.

Secundo constat, ex ijs quæ de fœtus formatione docentur, omnes partes formari ex sanguine materno, una cum semine utriusq; parentis: in utero etiam ex eodem materno sanguine nutriri. Caterum & sanguis maternus constat mixtione quatuor humorum: & semen quoq; utriusq; parentis, ex sanguine generatur, quatuor humorum mixtione composito, ut docet Gal. textu 18. 27. eiusdem libri de hominis Natura.

L I X.

Tertio iſdem quatuor humores, in hominis corpore semper inueniuntur, in omni ætate, Anni tempore, die, nocte, quamdiu potest spiritum trahere tex. 27.

L X.

Quarto, si uno aliquo aut pluribus priuatur, necessario interit, ut cernere est in superpurgationibus, & magnis hamorrhagijs textu 28. 39.

L X I.

Quinto quatuor iſdem hi humores, ita se habent in homine, ceu $\mu\iota\chi\rho\rho\rho\sigma\mu\omega$ ad omnem ætatem: totiusq; vitæ spatium, quomodo Calidum, Frigidum, Humidum, Siccumq; Elementa, se habet ad Mundum hunc infra lunam existentem. Et proinde, aut Mundus per totum Annum, imò per omnes Annos, ex hisce constat: ita etiam $\mu\iota\chi\rho\rho\rho\sigma\mu$ & ex quatuor humoribus. text. 38. 39.

Vi au-

L X I I.

Vt autem ex hisce omnibus constat homo: ita ex iisdem acquirit vim, quam habet ad Agendum & Patiendum. Vnde permotus Hipp. dixit eosdem Humores, Hominis Naturam esse. Secundum eum scilicet explicanda Naturæ modum, quem, antè proposuimus, ex Platone.

L X I I I.

Vires hæ: sunt Facultates: Animales, Vitales, Naturales. Exēpli gratia, Mouendi sentiendiq; in sensus Motusq; Instrumentis. Pulsandi in corde & Arterijs, Cōcoquendi cibi in ventriculo. Sanguificandi in Hepate, lac generandi in mammis, & urinam trahendi in Renibus, idemq; de cæteris aliarū partium facultatibus & Actionibus sentiendum est.

L X I V.

Quoniam autem ex similaribus constant Instrumentaria: & ex Instrumentis, vniuersum corpus componitur: sequitur sanè, quod vnde partes similes habent vim agendi, & patiendi: Inde quoq; Instrumentaria, vniuersumq; corpus eandem obtineat.

L X V.

In omni præterea Instrumento: vna quædam pars similis, ferè est Actionis causa, reliquæ eidem, vsum aliquē conferunt, ut dicitur cap. 6. libri de Morb. Differ. Itemq; 2. Meth. cap. 6. & 7. Method. cap. 2.

L X V I.

Itaq; si ostenderimus, partes similes ex his quatuor humoribus, vires & facultates suas obtinere, ad agendum, & patiendum: simul etiam patebit, totum corpus suas principales vires ex iisdem habere.

L X V I I.

Principales dico: ne quis putet, me conformationi, Magnitudini, Numero, ac Situi conuenienti partiū nihil attribuere.

L X I I X.

Habet autem omnis pars similis facultatem, quam obti-

net qualemunque, ex tali quadam mixtione Calidi, Frigidi, Humidi, Siccij, Elementi: quod tanquam alibi à Galeno & Aristotele copiosè demonstratum: pro confesso accipimus: & cum yisdem, pro fundamento omnis Methodi Medendi ponimus.

L X I X.

Sed Calidum, Frigidum, Humidum Siccumq, Elementa, non Immediatè ingrediuntur, similarium partium compositionem: Verum prius per varias alterationes, transmutantur in quatuor humores: ex quibus Pituita Aquam, Sanguis Aërem, Melancholiam Terram, Bilis flava Ignem representat.

L X X.

Quod si ergo quatuor humorum iusta proportio, bonaq, constitutio, in cuiusq, partis similaris Formatione, Auclione, & Nutritione, continet convenientem, calidi, frigidi, humidi siccij, Elementi mixtionē: certum est, quod eadem iusta proportio, bonaq, constitutione quatuor humorum, causa quoq, erit facultatum, quas eadem partes obtinent.

L X X I.

Et contrà, inepta eorundem proportio, malaq, constitutio: efficiet ut partes earumq, facultates patiantur Actionesq, laedantur. tex. 18.

L X X I I.

Et in hanc sententiam Hipp. textu 18. libri de Hominis Natura de yisdem humoribus dixit, καὶ ταῦτα εἰν αὐτέῳ ἡ φύσις τῶ σώματι, καὶ διὰ ταῦτα ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει. id est, Hi quatuor humores ipsi Homini sunt Natura corporis: & propter hos valet, & Aegrotat.

L X X I I I.

Ex textu sequenti ait, Valere quidem hominē ὅταν μετρίως ἔχει ταῦτα, τῆς πρὸς ἀλλήλα κρήσι, καὶ διαμέσως καὶ τῶ πλήθει, καὶ μάλιστα ἢν μεμνημένα ἦ. i. quando ydem quatuor humores mediocriter se habuerint, temperie, facultate, vi, copiaq, ac insuper quam maximè fuerint permixti.

Quæ

LXXIV.

Quæ verba ex Galeni sententia, nos ita interpretamur, ut asseramus sanitatem partium similarium, ex duabus horum humorum conditionibus dependere, quarum una penes κρήσιν quam Græci κρήσιν nos Temperiem vocamus, Altera penes μίξιν mixtionem consistit.

LXXV.

In κρήσει duo requiruntur, δύναμις καὶ πλῆθος τῶν κερῶν νιμίων. i. facultas & copia eorum, quæ contemperata sunt: Exempli gratia, in massa sanguinis quo partes augentur, formantur, nutriuntur, conueniens erit quatuor humorū δύναμις, si ὕ neg, Calidiores, neg, Frigidiores, Humidiores aut Sicciores existant quam oporteat, Cōueniens quoq, erit πλῆθος, si iusta sit omnium proportio, ut sanguis neg, nimum Pituitosus, Biliosus, aut Melancholicus existat.

LXXVI.

Μίξις autem exacta, omnium quatuor humorum inter se, conducit & ad Temperiem meliorem efficiendam: atq, etiam ad unitatem partium, qui ex ὕσdem nutriuntur.

LXXVII.

Vt autem ex hisce oritur sanitas, quæ causa est omnium bonarum Actionum: ita ex ὕs quæ hisce contraria sunt, sequitur Morbus, qui passionis lesionisq, Actionum est causa.

LXXVIII.

Εἰς expressit Hipp. textu 20. inquiens Αλγέει δ' ὁκόταν τὶ τῶντέων ἔλασσον ἢ πλέον γῆται ἢ χωρεῖ ἐν τῷ σώματι, καὶ μὴ κεκραμμένον τοῖς πᾶσιν. i. Aegrotat homo. Si quid horum (nempe τῆς δυνάμεως καὶ τῆς πλῆθους) parcius aut copiosius euaserit aut si seorsim à reliquis separetur.

LXXIX.

Hinc quoq, prima genera Morborum, quæ partibus similaribus accidunt, deducuntur. Nam si quid τῆς δυνάμεως quatuor humorum, plus aut minus iusto fuerit: Inde Necessario sequitur simplex intemperies. Si verò καὶ δυνάμεως καὶ πλῆ-

De & quopiam plus aut minus iusto fuerit : intemperies sequitur cum humoris affluxu, uti etiam solutio continui: si quid
χωρεῖται ἐν τῷ σώματι.

L X X X.

Organici Morbi autem, qui penes Viliatam partium conformationem, Magnitudinem, Numerum, Situmq₃ consistunt: non ex Ratione Elementorum, quibus corpus constat, deducuntur: sed ex forma ipsa partium: semperq₃ eadem genera Morborum organicorum habebis, qualiacunq₃ ponantur esse Elementa.

DE INSTRUMENTO SANGVIFICATIONIS, VENARVM QVE PRINCIPIO DISPUTATIO Seconda.

T H E S I S I.

Quoniam in superiori disputatione ostendimus, Naturam hominis constare, ex mixtione quatuor humorum, qui in venis Arterysq₃ continentur; Idcirco proximum est, ut ad eandem Hominis Naturam melius intelligendam, etiam queramus, de eorundem humorum generatione.

I I.

In hac autem Disputatione, Causse nobis inquirende sunt, ex quib. quatuor humores, totaq₃ sanguinis massa generetur.

I I I.

Et quia de finali Causa, usuq₃ omnium humorum, itemq₃ de forma cuiusque eorum, abunde in priori disputatione est dictum: Idcirco de eorum Materia & Efficiente hic erit dicendum.

I V.

Cuius rei Exordium hinc sumendum est, quod qua Causa format
maxis

manit partes corporis nostræ, eadem facultates ijs attribuit, quibus augeri, nutriri & conservari possent.

V.

Ut ergo omnibus aliis partibus: ita ventriculo quoque facultatem inseruit, qua percipere posset indigentiam alimenti: inde verò irritari, ad illud per os acquirendum: ex ore attrahendum: Attractum retinendum: Alterandum, Alterato fruendum, & quod Reliquum superest, tanquam onerosum excrementosumque, à se in Intestina expellendum.

VI.

Et quamvis ventriculus, Ratione Carens, non propter alias partes trahat, sed perinde ut alie partes, à propria indigentia sensu, adeoque sui ipsius Causa irritetur ad trahendum: Contingit tamen ex Artificis providentia, ut eius, quod ei excrementosum est, magna portio alijs corporis partibus, in Alimentum cedat.

VII.

Itaque per venas Meseraicas Hepar primum, sibi attrahit chylum, ex ea massa, quam ventriculus reiecerat, Attractum Retinet, Alterat, Alterato fruitur & inde nutritur: & quod reliquum est deinde, etiam tanquam Excrementum in venam Cavam aliasque reijcit.

IX.

Ex venis reliquæ partes omnes trahunt, de ea substantia, quam Hepar tanquam superfluum, à se in eas reiecerat: illa autem est Sanguis, quatuor humorum mixtione constans.

X.

Et perinde ut extra nos videmus, Stercus hominum, quibusdam alijs Animalibus esse Alimentum: ita in humano corpore, excrementi primæ concoctionis, quæ fit in ventriculo, potior pars, est Hepati familiare alimentum: & excrementi concoctionis secundæ, quæ perficitur in Hepate, itidem potior pars, est Alimentum reliquis omnibus corporis partibus, ut docuit Gal. lib 3. de nat. fac. cap. 9. & lib. 6. de placit. cap. 8.

X.

Materia igitur quatuor humorum, qui in massa sanguinis continentur, proxima est, Chylus: qui per Meseraicas venas, ex ijs attrahitur, quæ ventriculus peracta prima concoctione, tanquam superflua, à se in Intestina reiecerat.

XI.

*Idemq; chylus cum ob diuersitatem ciborum, quibus nutri-
mur: tum ob diuersitatem alterationis diuersarum eius par-
tium, facta in ventriculo: necessario obtinet partes tenuita-
te, Crassitie, Caliditate, frigiditate, humiditate, siccitateq;
differentes.*

XII.

*Has differentes chyli partes, necesse est etiam, ab eodem He-
patis calore, inæqualiter alterari: Nam, exempli gratia, quæ
tenuiores, calidioresq; eiusdem partes erunt, illæ prius assabun-
tur, quàm crassiores, crudioresq; moderatè coquantur.*

XIII.

*Et si ergo Hepatis respectu unus idemq; Calor sit: respectu
tamen eorum, quæ alterantur ab eo, non est unus, sed eorum
quibusdam moderatus existit: quibusdam nimius: quibus-
dam nimis debilis.*

XIV.

*Rectè igitur Galenus lib. 2. de Natur. facult. cap. 8. f. ex sua
Hipp. Aristot. Praxagoræ, Philotimi aliorumq; veterum senten-
tia, dixit sanguinem à moderato Calore gigni. Reliquos humo-
res ab immoderato generari.*

XV.

*E contra Fernelius Vir Doctiss. hoc Galeni dogma lib. 6.
Physiolog. cap. 4. malè reprehendit.*

XVI.

*Nec probamus etiam modum, quo idem Fernelius cap. 2.
eiusdem libri, docuit chylum hunc ad hepar peruenire: asse-
rens cibi ac potus distributionem, non tantum tractione ve-
narum,*

narum hepatis, ac reliquarum partium fieri, sed etiam Spontaneo influxu.

XVII.

Quod si .n. Spontaneo fluxu, & non tractione Hepatis ac Venarum, in Potationibus vinum distribueretur: deorsum potius per amplas vias, ponderis sui ratione, in intestina & alium vacuaretur: quam quod ad latus ferretur, per angustissimas ac repletas vias, versus Renes ac vesicam.

XIX.

Sed si omnis cibi ac potus distributio, fit sola tractione Hepatis venarum, ac partium trahentium sibi id quod est familiare: cur contingit homines plethora ac cachexia laborare? cur plus trahunt partes quam opus sit?

XX.

Respondemus: Omnibus partibus inesse vim, trahendi id quod est familiare: sed quantitatem eius quod trahi oportet, non Tractricis, sed Retentricis facultatis respectu, esse definitam.

XX.

Attrahitrix enim non cessat trahere, donec Retentrix grauetur: apparetque id in Helluonibus, quorum ventriculus deglutit, donec nausæa superueniat.

XXI.

Consuetudo quoque multum facit, ut plus aut minus partes trahere possint.

XXII.

Denique etiam hoc addimus. Sicuti quædam actiones voluntarie, Necessitati nature sunt obligata, ut etiam si nolis, tamen eas cogaris edere: Ita quædam Naturales, voluntati nostra aliquantum obedire.

XXIII.

Hæc de materia quatuor Humorum, deinceps ad Efficientem causam veniendum erit, cuius nomine, intelligimus par-

rem corporis nostri, quæ sanguinem efficit, in quo omnes quatuor humores continentur.

XXIV.

De hac parte triplices iam olim fuerunt sententia, Quidam enim asseruerunt Cor esse sanguinis officinam, & venarum omnium principium: Alij venis, hoc ipsum attribuerunt: alij deniq; hepatis sanguinem generandi munus ascripserunt, venarumq; principium attribuerunt.

XXV.

Cor ipsum sanguinis officinam esse, existimavit Aristoteles lib. 2. de part. ani. cap. 7 & lib. 3. cap. 4. docuitq; unam tantum esse partem principem, quæ sedes foret omnium facultatum, & proinde etiam sanguifica.

XXVI.

Eandemq; sanguificam vim ob id cordi ascribit, quod videmus in Cordis ventriculis, ab ipsa cordis substantia, sanguinem immediatè contineri, cum cetera partes omnes, cum non nisi in vasis contineant.

XXVII.

Hinc autem inferebat Venas & Arterias quoq; inde oriri, & sanguinem ab iisdem cauitatibus assumere.

XXIX.

Cui ex Galeno Respondemus. Primò. Cor immediatè continere sanguinem & primariò, non quemlibet autem, sed sanguinem spirituosum calidioremq;, qualis est etiam in Arterijs, quo sensu Plato in Timæo dixit; Cor esse πηλὸν τῷ αἵματι, id est, fontem eius sanguinis, qui cum impetu fertur lib. 6. cap. 8. d. de Placitis.

XXIX.

Eundem autem sanguinem, haurit cor ex Hepate, per truncum Vena Cava sursum ascendentem, eumq; preparat & talem efficit.

XXX.

Quod si enim vena ex corde orirentur, & non ex Hepate, oporteret

oporteret truncum unum aliquem, aut plures maximos esse, in ipso exortu ex corde, qui sensim in minores per uniuersum corpus distribuerentur, uti videmus in exortu Arteriarum contingere.

XXXI.

Sed hoc iuxta hepar apparet, non iuxta cor: ex Hepate enim prodeunt duo trunci maximi, unus vena porta, alter Cava Vena; qui sensim in minores distribuuntur, per uniuersum Corpus lib. 6. de Plac. cap. 3.

XXXII.

In nullam enim partem omnes vena conueniunt, quàm in Hepar: ut ex eo ortum trahere eas oporteat. libr. 6. de Placit. cap. 8.

XXXIII.

Denique si hepar non sit Sanguificationis instrumentum: frustra id factum esse oporteret lib. 6. cap. 4. de Placit.

XXXIV.

Etsi fortè dicas, Hepar Sanguinem praequirere & preparare cordi, ut in eo perficiatur & absoluitur, rursumque hinc confici, Cor esse sanguinis veram officinam.

XXXV.

Duo iterum tibi obstabunt: nempe quod ita oporteret totum sanguinem in Hepate genitum, ad cor transmitti: ut totus chylus ad Hepar mittitur: & tota urina ad vesicam.

XXXVI.

Deinde oportuisset, ea quae sanguinem expurgant Vasa, Cordi adherere, non hepati lib. 6. de Plac. cap. 4.

XXXVII.

Altera sententia fuit eorum, qui existimarunt: Sanguinem generari à propria venarum substantia; quam etsi Gal. lib. 6. de Placit. Hipp. & Plato. praecipue cap. 8. euidenter confutauerit: extitèrè tamen superioribus annis, qui eam propè sepultam iterum eruerunt, & Argumentis confirmare conati sunt.

XXXIX.

Ex hisce mihi videtur primus fuisse Laurentius Ioubertus Paradoxo 4. decadis primæ: quem postea Iacobus Scheckius in lib. de Sanguificationis instrumento, Archangelus item Piccolhomineus, & alij sequuti sunt. Viri certè Doctiſſ.

XXXIX.

Argumentis uſi ſunt varijs: Primumq; autoritate Galeni nituntur, qui multis locis aſſerit: uenis inesse vim sanguinem generandi.

XL.

Deinde, cum venæ omnes sanguinem secundum Naturam contineant, eademq; ante hepar extiterint, necesse esse aiunt, ut eum ipsæ confecerint, non ab hepate acceperint.

XLI.

Tertiò omnes Actiones Naturales, requirunt, ut Agentia per contactum agant, in id quod patitur: itaq; cum venæ, primæ hauriant chylum ex intestinis, eundemq; tangant; meritò ipsæ quoq; eundem Alterant & in sanguinem conuertunt.

XLII.

Hepar enim non tangit ipsam massam sanguinis: quia tantummodo forinsecus uenis adnascitur.

XLIII.

Quartò, si Hepar esset Sanguinis officina, oporteret in eo Cavitatem esse factam, in quam chylus reciperetur, alteraretur, & in sanguinem contactu propria carnis iecoraria, conuerteretur: uti in ventriculi cavitare cernimus, cibos in chylum, contactu propria substantia conuerti.

XLIV.

Colorem sanguinis rubrum esse posse, quamuis venæ à quibus factus est, sint albæ. Primum quia color est accidens. Item: quia à calore venarum coquente sanguinemq; efficiente, materia cõtenta primum albescent: secundo flavescent, tertio Rubescant, & ulterius cocta materia nigrescat, uti carnes ab igne affici nouimus.

Sheckius

XLV.

Scheekius vir Doctiss. propterea sanguinem rubrum esse dicit: quod venae eum generent, non Actione ὁμοειδῆ, qualis ea est, qua partes nutrimentum sibi assimilant, sed Actione quae fit κατ' ἐντελέχειαν: qualis ea est qua, Astra generant Metalla: in hac enim, non similem esse Effectum efficienti.

XLVI.

Hepatis usum eum tantummodo esse, ut extremitates primarum venarū copulentur cum extremitatibus secundarum: hoc est, ut Radices venae portae coniungantur, cum radicibus venae cauae. Item ut biliosus humor illic expurgetur, & sanguis perfectior illic fiat.

XLVII.

Non posse etiam fieri, ut ventriculus & intestina nutriantur sanguine, nisi concedamus, venis inesse vim sanguificam.

XLIX.

Arterias quae in ventrem & intestina pertingunt, necessario attrahere aliquid chyli, eumque oportere non ab hepate, sed ab ipsa Arteriarum substantia, in sanguinem conuerti.

XLIX.

Quid igitur ad haec Argumēta Respondendum? Nimirum Galeni auctoritatem quod attinet, ad hanc primum Respondemus: Galenum seipsum explicare, ita ut quaecumque vis venis insit sanguifica, ea ijs insit, & κατὰ τὴν ἐαυτῶν φύσιν, non ratione propriae naturae: sed ratione principij unde oriuntur lib. 6. de Plac. cap. 8.

L.

Nam quemadmodum nervi à cerebro animalem: Arteriae à corde pulsificam: ita venae ab hepate obtinent τὴν φύσιν καὶ δυνάμιν. i. facultatē Naturalem. lib. 1. de usu part. cap. 16.

LI.

In eandem sententiam lib. 4. de usu part. cap. 12. ait venis Meseraicis propter hepar, inesse vim aliquam sanguinem efficiendi.

LII.

Hinc fit ut chylus in iisdem, *ἡτοιμασθὲν τινὰ καὶ ἀπὸ τοῦ αἵματος*, id est, quandam rudem sanguinis delineationem ac speciem acquirat, antequam ad hepar perveniat cap. 3. eiusdem libri.

LIII.

Venas deinde negamus fuisse ante hepar: & negamus etiam sequi, ut si sanguinem secundum naturam contineant: eum propterea ipsæ generarint.

LIV.

Nam cor etiam in suis ventriculis, sanguinē continet secundum Naturam; nec tamen eum generavit; sed ab hepate hausit.

LV.

Venas ante hepar fuisse, dupliciter asserunt: Alij quidem propter umbilicalem venam, quæ omnium prima est; quæq; sanguinem ad hepatis generationem suppeditat.

LVI.

De hac dicimus, quod non ipsa sanguinem generat, sed trahit ex materno utero: deinde quod eadem non nisi tamdiu vena sit, quamdiu coheret cum venis uteri materni. Ut proinde venarum uteri materni potius, quàm fœtus, propago quedam existat: à quibus ubi est abscissa, in ligamentū abit.

LVII.

Quæ verò propriè vena sunt fœtus, quibus augetur, nutritur, in utero & extra uterum: eas ut concedimus, ex umbilicali ceu Traduces transplantatas: ita asserimus, Radicari hanc transplantationem oportuisse in Hepate, & inde progenerari. de fœtus format. cap. 3. b. & lib. 6. de Plac. cap. 5.

LIX.

Estq; hac reliquarū venarū ab umbilicali traductio, similis ei, qua de Arborib. in Arbores vites per Rūpos traducuntur.

LIX.

Nam & Rumpi, qui prius ex stirpe succum trahunt, scrobibus

bibus defossi, Radicationem faciunt in terram: & inde postea trahunt alimentū, crescuntq̃, quamuis à stirpe amputentur.

L X.

Scheckius Vir Doctiss. docet, Venas, Arterias, Nervos, omnium esse prima corpora, ceu stamina telarum: quibus omnis generis parenchymata & Carnes, perinde ut subtegmina telarum, intertexantur, & proinde venas ante Hepar fuisse: nec sanguificam ullam vim, habere ex eo potuisse.

L X I.

Id duobus modis probat: Quia ex semine formentur. Et quia aliās non possent perforare partes, per quas est transeundum, si ijs essent posteriores.

L X I I.

Nos verò dicimus ex semine formari, nos venas, Arterias, Nervosq̃, solum: sed etiam ossa, Cartilagine, ligamenta, membranas, tendines, omnesq̃, spermaticas appellatas partes.

L X I I I.

Cumq̃, utriusq̃, parentis semen, vix Auellanae nucis molem æquet, nec uteri capacitas, in muliere non pregnantē, maiorem molem capiat: sequitur singularum spermaticarum partium, ex tam exigua mole, non nisi primordia quaedam primū formari posse, aut quasdam veluti Radices, qualis est in venoso genere, umbilicalis vena.

L X I V.

Ex hisce verò primordijs ac veluti Radicibus, una cum carnibus augeri & crescere singulas partes; nec opus esse eas perforari, cum una cum illis crescant.

L X V.

Ad id quod de Contactu afferunt, Respondemus, contactum nō omnem esse immediatum. Nam & ignis per ollarum ferream substantiam, Aquamq̃, item in ollis contentam penetrat, & coquit carnes.

L X V I.

Et calor Gallinae incubantis, penetrat putamen albumenq̃,

oui, & alterat genituram in profundo oui, efficitq³ pullum.

LXVII.

Cur ergo nequeat Hepatici Parenthymatis facultas, per tenuissimam venarum substantiam penetrare, & contentam in ijs materiam, secundum suam naturam alterare, & in sanguinem commutare.

LXIX.

Cavitatem verò quod attinet. Respondemus ex lib. 6. de Anat. administ. cap. 2. & lib. 4. de usu part. cap. 13 g. b. longè maiorem esse mutationem, qua ex chylo fit sanguis, quàm ea sit, qua ex cibo fit chylus.

LXIX.

Vt eadem magna mutatio fieri posset commodius, non coniunctim totam chyli materiam, in sinu quodam concoqui oportuisse: sed in multas partes diuisam per hepatis substantiam, in tenuissimasq³ venas distributam.

LXX.

Ruboris in sanguine rationem, ab Iuberto & ijs qui illum sequuntur allatam nō aptam esse, plurimaq³ inde sequi absurda, & inter cetera; quòd ita oporteret, primò totum chylum in pituitam; secundò in bilem, tertio in sanguinem, ultimò in Melancholiam verti.

LXXI.

Quam Scheckius adfert, adhuc minus aptam esse: nam ex ea sequitur plures esse facultatum differentias in Homine, quàm Animales, Vitales & Naturales.

LXXII.

Eam enim quam κατ' ἐντελέχειαν vocat, ad nullam harū possis reuocare, cū sanguificam oporteat, sub Naturali cōcoctrice esse comprehensam.

LXXIII.

Usū quem hepati assignant, leuiorem etiā dicimus quàm ut eius causa tantum viscus in Animante sit factum.

Ventri-

LXXIV.

Ventriculum & intestina, sanguinem ad sui nutritionem, per easdem venas ab Hepate trahere posse, per quas illi chylum transmiserunt, lib. 3. de Nat. fac. cap. 13.

LXXV.

Arterias quæ ad Ventrem & Intestina pertingunt, non chylum inde haurire; sed calorem nativum eorum fovere lib. 3. de Nat. fac. cap. 14. Vesalius item lib. 5. cap. 3.

LXXVI.

Quod si ergo & ij qui Cordi: & ij qui venis ascripserunt sanguinis generationem, errarunt: de tertia opinione, quæ id munus ascribit Hepati, quid sentire oporteat, deinceps videndum.

LXXVII.

Hanc sententiam præcipuè Hipp. & Galenus sequuti sunt; qui docuerunt, Hepar esse Sanguinis officinam ac venarum principium. Egitq; Gal. de hac re, præcipuè lib. 4. de usu part. cap. 3. 4. 5. 12. & lib. 6. de Placit. cap. 3. 4. 5. 8.

LXXVIII.

Ad utrumq; horum comprobandum, usus est propositio- nibus quibusdam ἀναποδείκτοις, tanquam fundamētis: è qua- rum numero hæ sunt.

LXXIX.

Natura omnia agit meliori modo. Itaq; si quam faculta- tem alicui parti inserit, simul etiam eidem parti attribuit in- strumenta, quibus facultas illa possit agere, ne otiosa esse cogatur.

LXXX.

Quæcunq; pars corporis nostri, concoquit aliquam mate- riam pro alimento, eandem concoquendo sibi assimilât; quod Galenus his verbis expressit: ἕκαστον τῶν ἀλλοιζόντων μορίων τὴν τροφήν, οἷον σκόπον τινὰ ἔχει καὶ τέλος, ἐαυτῷ σωεζωμοῖν- σαι τὸ ἀλλοιζόμενον.

LXX XI.

In venis & Arterijs, Maiores truncos minorum esse principia: perinde ut in Arboribus cernimus, Truncum in maximos Ramos, hosq; in minores, alios atq; alios, ad minimos usque distribui.

LXX XII.

In omni Instrumento, cui siue unica, siue gemina aliqua Actio est demandata, unam quandam similem partem, esse eius Actionis causam; & quidem eam, quæ eius Instrumenti propria est.

LXX XIII.

Quæ enim communes partes similes sunt, multis Instrumentis: communem usum atq; functionem in omnibus habere. Exempli gratia, Nervus, in brachio, manu, digito, pede, ventre, alijsq; partibus, semper est vehiculum sensitivæ & motoricis facultatis.

LXX XIV.

Hiscæ ita positis sic infertur. Ea pars corporis nostri, generando sanguini est destinata, & illius officina est censenda, in qua omnia instrumenta existunt: quæcunq; & ad materiam comparandam; & ad eam in sanguinem conuertendam: & sanguinem factum ab excrementosis superfluitatibus expurgandum: & ad eum omnibus corporis partibus distribuendum requiruntur.

LXX XV.

Omnia autem hæc in hepate habemus: Ad materiam comparandam enim sunt venæ Mesaraicæ, ab hepatis porta prodeuntes, in Intestina & ventriculum, per Mesenterium multiplici sobole distributæ, per quas Hepar tanquam per Manus chylum attrahit.

LXX XVI.

Ad materiam hanc in sanguinem conuertendam, habemus parenchyma hepatis, per cuius substantiam venæ portæ Radices distributæ: continent materiam multipliciter diuisam,

Sam, ut magnam hanc mutationem facilius subire possit, & per concoctionem, in similem ei quod concoquit substantiam conueriti.

LXXVII.

Cui enim parti corporis similimus est sanguis: ab eiusdem Alteratione & coctione factum eum esse oportet: similimus autem est parenchymati hepatis.

LXXXIX.

Idem hoc parenchyma, propria est hepatis substantia: neque in ulla alia parte inuenies Carnem, Hepatis Carni similem: cum reliqua partes, vena scil. Arteria, Membrana, ligamenta, & in alijs partibus inueniantur.

LXXXIX.

Expurgando sanguini ab Excrementis, parata habes, primum vesicam fellis, quae Hepari adnexa Amarum excrementum trahit. Secundo Lienem è regione positum, qui per Ramum portae trahit crassum ac Melancholicum excrementum. Tertiò Renes, hepatis subiectos, qui vtringque à vena Caua trahunt excrementum serosum.

XC.

Vbi ex concocto chylo & in sanguinem, substantia parenchymatis similem conuerso, tantum accepit hepar, quantum pro sui nutritione sufficit: Reliquum tanquam onerosum atque superfluum, suscipiunt vena, quae à gibbo hepatis in Cauam prodeunt, & in omnes partes corporis distribuunt.

XCI.

Etsi quis maximè cum Aristotele contendat, venas ex corde oriri, non ex hepate, is tamen cogitur confiteri, omnes venas in Hepar conuenire: non in Cor, cum Mesaraicarum nulla cor attingat.

XCII.

Ipsa verò Ratio, ex Truncis maioribus, qui subinde in minores diuiduntur, docet, venas ab Hepate oriri, ut ante propositione 30. contra Arist. ostensum est. Vti etiam, quo modo ex

*Hepate oriantur, contra Ioubertum & Scheckium proposit.
53. & sequentib.*

XCIII.

*Meritò ergo inferimus; Vnde prima origo Venarum, illic
esse officinam sanguinis; cum vena sint sanguinis propria re-
ceptacula.*

XCIV.

*Deniq, quandoquidem, ut cerebrum Animalis facultatis
est principium, & cor vitalis: ita hepar Naturalis potentiae
sedem atque Principium omnes fatentur: sequitur utiq, quòd
vim habeat generandi materiam, proprijs functionibus eden-
dis idoneam: neq, enim aliàs esset principium.*

XCV.

*Præcipue actiones Naturales sunt Generatio, Auctio, Nu-
tritio: quæ omnes sanguine perficiuntur, partim immediatè,
partim mediatè seminis interuentu, quod etiam ex
sanguine fit.*

LAUS DEO SEMPER.

